



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

17. Decembris. Inconsulto Deo aggrediendum est nihil. S. Ignat. apud
Ludo. Gonza.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

Nemo frequentius errat, quam qui facile credit: pensari audita, maxime, quæ alienæ famæ derogant, & fides iis tamdiu negari debet, donec palpari veritas possit.

Si accusasse sufficit, ut quis reus agatur, nemo innocens manebit; loquendi de aliis, & censurandi consuetudo ita late invaluit, ut nulla res majori opus habere examine videatur, quam delatio.

Mali fallere, boni falli possunt, neutris præpropera debetur fides. Nos ipsi, quam sæpe fallimur! quam pronum, ut in re, vel persona, lateat error? Facilior est tardæ, quam festinatæ credulitatis venia.

Reo nondum audito nihil certi statui potest: si data delatori una, servanda est aurium altera delato. Suus esse debet purgationi locus; in dubio favendum reo. Quibus delationis audire volupe est, delicias in quisquiliis quærunt.

17. Decembris.

*Inconsulto Deo aggrediendum est nihil. S.
Ignat. apud Ludo, Gonza.*

Hu-

Humana consilia bis fallacia sunt ;
 primùm, quia rarò sincera , dein,
 quia fragilia ; solis absque metu niti pos-
 sum, quæ à mente suprema veniunt ; illis
 enim nec fidei quidquam deesse potest,
 nec soliditatis.

Multi sunt authores operis imperfe-
 cti ; quia , cœlo multi non consulto ,
 telam ordiuntur : non speret bonum
 negotiorum finem , nisi à primo ea prin-
 cipio quis incipiat, Hoc negligere est er-
 rare.

Rogari vult Deus, ut suum tenebris no-
 stris lumen affundat , sinè quo densa in ca-
 ligine palpitamus omnes ; etiam sapien-
 tissimo non unam ambitio , & sui amor,
 umbram offundit.

Inconsulta nostra molimina ridet Deus,
 quæ dum fervent maximè , dum opti-
 mo successu portum videntur respicere,
 subsidunt. A Babyloniis disce architec-
 tæ quid turrim , cœlo adverso , ædi-
 ficare profit.

18. Decembris.

*Suâ semper veritas luce splendet, ubi men-
 dacis*